INGENUARUM ARTIUM, SOLIDIORISQUE SCIENTIAE THEOREMATA...

Raimondo Messori



INGENUARUM ARTIUM, SOLIDIORISQ; SCIENTIAE THEOREMATA CENTUM SINGULARIA.

HUMANIORA, *GRAMMATICALIA RHETORICA POETICA*

PHILOSOPHICA *DIALECTICA PHISICA METAPHISICA ETHICA*

THEOLOGICA *SCHOLASTICA DOGMATICA HISTORICA LITURGICA MORALIA*

MISCELLANEA *APOLOGETICA CRITICA*

QUÆ

Sub Auspiciis Reverendissimi Patris Magistri

DOMINICI ANDREAE BURGHESII

Universi Ordinis Min. Convent. Sancti Francisci Ministri Generalis Meritissimi.

Publice discutienda proponit, data unicuilibet eppugnandi facultate.

FR. RAYMUNDUS MESSORJ DE BARBARANO

Ejusdem Ordinis Sacerdos.

Recurrentibus Comitiis Provincialibus Almæ Romanæ Provinciæ.



VITERBII, Ex Typographia Michaelis de Benedictis

Superiorum Facultate An. Dom. MDCCXVIII.



Reverendissime Pater.



IL mihi unquam optatius fuit, quam ut in aliquo frequentissimo Patrum consessu, quanta ega tibi deberem, atque universa nostra Familia tibi unice accepta referret palam, & publico nomine profiterer. Quare has Theses ex cuncta Religiosorum Studiorum Encyclopædia excerptas tibi offerendas, atque dicandas existimavi, quum ut singulare erga te studium, atque amorem meum pro viribus testarer, tum ut tota disciplinarum Respub., quam ad eo foves, atque

amplificas simul, atque una voce tibi saltem gratias ageret, si referre non posset. Namque, ut dicam quod sentio, magna contentio, atque ingens certamen inter prudentes, doctosque homines nostrates exortum est, utrum magis tuâ Prudentia in universo ordine moderando, ac regendo, an amor in excolendis, promovendisque literis enituerit. Ex qua certe factum est, ut quamvis cæteris ex Sanctissimo nostrorum Majorum instituto Minerves nos fateamur, tamen ne, ut ammittam artium liberalium numerum, nec Sacræ eloquentiæ facultatem, neque Theorematum subtilitatem, neque dogmatum soliditatem invideamus. Hoc jam scriptis, editisque libris multi satis superque testati sunt, quos Auctores, fautoresque habuisse ad haec publicam, communemque gratulationem, & fateor, & glorior. Unum illud hac in re te oro PATER REVERENDISSIME, *atque obtestor, ut non me audacissimum ex omnibus, sed obsequentissimum, tuique amantissimum putes, si tot hominum eruditissimorum, quibus cum neque ætate, neque ingenio sim comparandus, partes susceperim, neque in illorum numero, unde quam longissime absum, collocare videar.* Vale.



HV:

HUMANIORA.

GRAMMATICALIA.

I. Uatuor linguæ latinæ numerantur ætates: I. *Aurea* a Bello Punico II. ad extremos usque Augusti annos; id est ab anno, V.C. 536. ad ann. 767. sive ad annum Christi 14. II. *Argentea* ab obitu Augusti ad Traiani excessum, idest ab anno Christi 14. ad ann. 117. III. *Ænea* a Trajani obitu, hoc est ab anno Chri: 117. ad Romam a Gothis captam, sive ad an: Chr: 410. IV. *Ferrea* ętas partim, partim *Figlina* a sæculo. V. usque ad instauratas literas. Prima ætate lingua latina quam purissime, emendatissime, atque eloquentissime post ejus infantiam a Romanis exculta fuit. Secunda cæpit non nihil a pristina majestate degenerare. Tertia vero non fenestra, sed janua barbariei aperta est, & gratiam tandem pene omnem exuit. Quarta demum barbaris jam per omnia grassantibus, quidquid novi hac ætate confictum est, barbarum haud dubie æstimandum erit. Primæ ætatis scriptores 32. numerantur a Cæcilio, seu verius 24. a Terrentio usque ad Germanicum. 2. ætatis 30. a Curtio usque ad Sulpitium. 3. ætatis fere 40. ab Apicio Cælio usque ad Hieronymum 4. ætatis pene 46. ab Augustino ad Gualtherum usque Barleum.

II. Latinitati suprema imminet clades quum inevitabili Peripateticorum philosophantium injuria qui eam futilibus, ac putidissimis disputationibus exterminant; tum hæreditaria quadam grammaticæ præceptorum inscitia, qui falsis exercitationibus seipsos produnt, atque Adolescentas: maxime vero rancidis illis, barbarisque periphrasibus e latino in latinum linguæ latinę castimoniam inficiunt, idemque evenit, quod Curtium pro Cæsare, Florum pro Sallustio, Lucanum pro Lucretio, Phædrum pro Terentio, Persium pro Horatio, Martialem pro Catullo, Suetonium pro Livio explicandos curent, & memoriæ mandandos.

III. Cum Quintiliano lib. I. cap. 10, exploratum habemus, *quod dicendi mutavimus genus, & ultrà quam oportebat nobis indulsimus*; cum eoque nobis *non invenuste dici videtur, aliud esse latine, aliud grammatice loqui*.

IV. Accademiæ Florentinæ quantum pleraque ex italis vocabulis, horumque syntaxim approbamus, tantundem ab eadem depravatam orthographiam reprobamus, atque pronunciationem.

RHETORICA.

V. Eloquentiæ, & literarum humaniorum peritia Theologo necessaria, ne scilicet inquinate, ne barbare, ne incondite scribat, ne ludibrio sit Heterodoxis, immo ut iis obsistat, ut Scripturarum, Conciliorum, Patrum sensa, aliquando involuta, & non satis explicata penitus introspicere, ac funditus penetrare queat. Ex iis, qui sacram scientiam cultissimo sermone latino tractarunt, præcipui sunt Melchior Canus Ord. Prædicat. Episc. Canar. ac Dyonisius Petavius Soc. Jesu Theologus.

VI. Si triplicem spectemus eloquentiam, græcam scilicet, latinam, atque italicam, eamque in forensem, seu accademicam, & ecclesiasticam dividamus, totidem utrique assignamus Coryphæos. Prophanæ primum inter græcos principem locum obtinet Demosthenes. Intar latinos Cicero, inter italos Joannes Boccatius. Deinde sacræ Principatum obtinuere ex primis Basilius magnus; ex secundis Cyprianus Martyr; ex postremis Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus Franciscanus Conventualis, & Paulus Segnarus Societatis Jesu Sacerdos: quorum Basilius, & Mussus Demostheni, Cyprianus, ac Segnarus Ciceroni respondent.

VII. Ea, quæ maxime decent Christianum Oratorem hæc sunt (quæ in Paulo Segnaro, magno eloquentiæ vindice deprehendit Alexander Burgos Conventualis Humaniorum literarum peritissimus) Dictio pura, dilucida, venusta, non fucata, non affectata. Sententiæ graves, propriæ,

loco, tempori aptatæ. Non pueriles, non vulgares, non turgide, non putidis argutiolis illigatæ. Profunda argumentorum inventio, atque a natura profluens eorundem tractatio, apta collocatio, ac dispositio scitissima figurarum concinna varietate ita circumducta, ut gradatim semper crescat, & in angustum redigat auditorem.

POETICA.

VIII. ANtiquior Italicę poesis Author Compositor, & Coriphæus verius quam Celius a Camo siculus (ut suo scribit arbitratu Leo Allatius) censendus est seraphicus Minorum Pater S. Franciscus Asisias, taleque judicium quum historica, tum cronologica ratione firmamus.

IX. Si quadruplex poesis genus, *tragicum* scilicet, *epicum comicum*, atque *liricum* perpendere lubet, atque eorum unicuilibet Principes quam inter grecos, & latinos, tum inter italos præscribere. Censemus primo, grecos inter primos ordines ducere tragico Euripidem, epico Homerum, comico Aristophanem, lirico demum Pindarum. & ex Latinis ceterorum principatum obtinere Tragedus Senecam, epopæja Virgilium, commodia Terentium, lirica tandem Horatium. Tertium apud Italos nemini secundos adjudicandos, tragico poemate Georgium Trissinum, Speronium, Giraldium, Torquatum Tassium; quos inter Petro Jacobo Martelli fama magno, virtute majori, prospere huc usque viventi, locum primum concedere nostrum non est, sed magnam decet seriem sæculorum: Epico Torquatum Tassium, atque Ariostum; Comico Dantem Alighierum, cujus defunctorum Commædiam consultius appellare placet vivorum Tragœdiam: postremo Liricorum Poetarum Ducem esse, ac Magistrum virum omni laude majorem, ac ęternitati parem, Christianorum Senecam jure nuncupatum Franciscum Petrarcham, non dubitanter asserimus.

X. Epicum Poema in partes, quę quantitatis, & qualitatis, appellantur, dividitur. Primę quidem proęmium, & nar-

ratio. Alterę deinde, fabula, mos, sententia, locutio. *Fabulæ* conditiones hę sunt, quod una sit, completa, magna, mirabilis, credibilis, episodiis recte composita; simplex, aut implexa; læta, vel tristis, varia. *Mores* probi sint, convenientes, similes, ęquales. *Sententia* sit vera, concors, propria, nobilis, sufficiens. *Locutio* emendata sit, dilucida, & ornata. Propositionem quæ prima est proęmii pars, non rite servarunt Virgilius, ac Statius. Invocationem, quę secunda, Dantes offendit. Fabulę unitate caruit Ariostus: Magnitudine inter Tragicos Euripides in suppl: ac Plautus in Capti: carnerunt. Fidem, modumque semel excessere Homerus 8. Ulis:, Sen: in Herc: Fur:, Sofocles in Helectra. Gabrielis ad Gothifredum missi in Libano requies (apud Torquatum cant. 1.) non bene episodiata. Virgilius in Turno veniam ab Hoste petente, atque Anea supplicem, prolapsumque Turnum occidente, morum convenientiam, & ęquabilitatem non custodivit; quicquid in contrarium afferat posthumis suis solutis orationibus Torquatus Tassus, quem etiam quoad Gothifredum, quamvis semel, morum inęqualitatis arguimus. Itidem Virgilium in sententię falsitatem, & discordiam vocamus, quod AEneam lib.8., & Ascanium 4. AEneid. venari Cervos in Africa, scripserit; quodve Priamum in Penetralibus dixerit interemptum, ac dein truncum in littore jacentem. Locutionis claritas Persio defuit, ingentique elapsi sæculi 17. Poetarum agmini metaphorarum, seu potius ęnigmatum complicatorum.

PHILOSOPHICA.

DIALECTICA.

XI. QUI Platonicas inficiantur Ideas, quas Plato in summo rerum Artifice, non externas, ac separatas, sed internas, & conjunctas, ac veluti quasdam exemplares cognitiones admisit, aut divini Philosophi doctrinam non satis perspectam habent, aut fraudulentam ad-

hibent

hibent interpretationem. Vera hæc, & legitima de Ideis opinio, nedum Plotino, Porphyrio, Proclo, Proculo, Jamblico, Psello, S. Augustino, Joanni Pico, Marsilio Ficino, Augustino Eugubino, Bessarioni Cardinali, omnibusque Platonicis; immo & Socrati, & multis ante eos sæculis Mercurio Trismegisto cognita fuit.

XII. Prædicamenta, eorumque intima perscrutatio, cum pariac mutua eorundem conjunctione, mitioris literaturæ, & solidæ cujuslibet scientiæ fontes aperiunt, a quibus mira sane, & uberior rationum, atque argumentorum deductio. Hic est in dialecticis nobilior, solidiorque dicendi modus, Peripatheticis quidem plerisque incognitus; quamvis ab Aristotele primum traditus, exinde a Quintiliano, ac Raymundo Lullo Rhetoribus, Logicisue reseratus.

XIII. Definitio non est instrumentum sciendi logicum a demostratione distinctum; idque si nemini inficiandum, scotistis maxime, logicæ objectum syllogismum statuentibus.

XIV. Circulum demonstrativum veluti impossibilem negamus. Regressum vero demonstrativum admittimus.

XV. Habitus scientiæ, fidei, & opinionis possunt in eodem intellectu consistere de uno, eodemque objecto per diversa media. Actus vero earundem nequeunt esse simul in eodem intellectu circa idem objectum secundum eandem formalitatem inspectum.

PHISICA.

XVI. Aristoteles cum non videret quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, & hanc præscriptionem vellet effugere, semper ait fuisse mundum, ac semper futurum. Cui ratione, ac scriptura advetsamur. Unus igitur Epicurus (auctore Democrito; ac teste Lactantio lib. 7. c. 1.) veridicus in hac re fuit, qui ait, *& ortum aliquando; & aliquando esse periturum.*

XVII. Copernicanum Cœlorum systema, nec sensu, nec ulla omnino efficaci ratione expugnari potest; auctoritate solum

lum scripturæ sacræ proscribitur, cælos, planetasque mobiles, terram autem immobilem pronunciantis.

XVIII. Nec Cæli, nec Astra sunt colorata, quorum priores nullam habent a se ipsis lucem, posteriora quidem lucem aliquam a seipsis possident. Certum tamen est quum Lunam, tum cætera errantia sydera majorem sui splendoris partem a Sole mutuari. Stellæ autem fixæ videntur per se plene lucidæ, nec lumen suum a Sole emendicare.

XIX. Quamvis lucis, ac luminis natura adeo recondita sit, ut eam nullus hactenus Philosophorum deprehendere valuerit, probabilius nihilominus censent Peripathetici, lumen esse accidens reale, & absolutum, productum in corpore lucido in contiguis medii partibus, & propagatum per remotiores. Iccirco Carthesio non assentimur tuenti, lumen nil aliud esse, quam subtilis materiæ suppressionem factam a corpore lucido, & ad oculos directam, ac in ipsis receptam. Gassendum itidem inficiamur contendentem, lucem nil aliud esse, quam effluvium quoddam igneorum corpusculorum a corpore lucido jugiter quaquaqua versum emanantium.

XX. Falsum omnino est tria chimicorum principia, *salem*, scilicet, *mercurium* & *sulphur* esse corpora simplicia, & cujusvis physicæ compositionis expertia; adeoque falsum, esse cujuslibet mixti tria interna principia. Falsum quoque, terram, & aquam non esse interna mixti elementa, sed solum principiorum matrices.

XXI. Carthesius somnians arbitratus tria rerum omnium elementa esse athomos comminutos, globulos, & angulos, novam, ridiculam, temerariam, atque impossibilem sententiam excogitavit. Novus hic Pseudophilosophus, novusque mundi creator, aut eversor latissimam athæismo viam sternit.

XXII. Neque Terra, neque ulla ejus pars simplicis elementi rationem habet. Miranda Terræ fæcunditas provenit a sale, quem non immerito *naturæ condimentum*, & *geocosmi animam* quamplures appellant. Tanta terrarum diversitas ab igne subterraneo potissimum oritur.

XXIII.

XXIII. Terra, & Aqua unicum efficiunt globum, quarum prior non mathematice, sed moraliter rotunda est. Posteriori autem contingit in nivem concretam esse, aut gelu, nec violentum est fluidam esse, ac permeabilem. Consectarie statuamus mare non altius terra sese erigere, sed terram esse Mari altiorem.

XXIV. Dantur Homines subterranei, non quidem solum in cryptis montium, & rupium vitam agentes, verum etiam in his subterraneis locis perpetuo degentes, ubi nusquam Solis, aut Lunæ lumen licet conspicere.

XXV. Flumina, fontesque non a decidente pluvia oriuntur juxta probabile Recentiorum judicium. Multo minus originem habent ab aere intra montium altissimos meatus, infrigidato, ut asserere videtur Aristoteles *lib. 4. tex. 52.* At a mari effluere scriptura testatur. *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

METAPHISICA.

XXVI. DEUM Creatorem Mundi, & omnium primam caussam existere evincunt, nedum Sacrorum apicum Oracula, immo, & naturalis ratio, historiarum testimonia sæculorum omnium attestatio, apud universas nationes alicujus supremi Numinis cultus, Mundi pulchritudo, ejus partium ordinatissima dispositio, elementorum inviolabilis discors concordia, creaturarum etiam elinguium proclamatio; omnes enim clamant. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

XXVII. Angelorum, substantiarum videlicet completarum, spiritualium existentia, natura duce suaderi potest, non demonstrativa ratione concludi.

XXVIII. Cum Concilio Lateranensi V. sub Leone X. sentimus, *hæreticum esse dicere, quod ex principiis philosophiæ sequitur animam esse mortalem*; eamque immortalem esse naturali ratione a posteriori demonstramus.

XXIX. *Impossibile est, idem simul esse, & non esse.* Hoc axioma est primum omnium principium, non relate ad primam intellectus operationem, sed relate ad secundam.

Rur-

Rursus est primum, & ultimum principium non in genere demonstrationis per deductionem ad impossibile.

XXX. Sensus objectum singulare est, non quidem sub singularis ratione, sed sub universalis consideratione.

ETHICA.

XXXI. SI Humanam moralem Philosophiam qua particularem spectemus in monasticam, œconomicam, & politicam dividitur, quarum monastica ordine durationis omnium prima est, deinde œconomica, postremo politica.

XXXII. Si temporis inspiciamus ordinem, dicendum, Monarchiam esse posteriorem, Democratiam vero omnium priorem. Si autem dignitatis, Monarchiam esse aliis priorem.

XXXIII. Rex hæreditarius magis exoptandus est quam electivus Eccl: 10. *Regnum de gente in gentem trasfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

XXXIV. Nullum Hominum hac mortali vita perfecte beari posse affirmamus com Solone dicente quondam. *Neminem ante obitum felicem esse prædicandum.*

XXXV. Beatitudo objectiva naturalis hominis in nullis animi bonis, corporisve consistit, quicquid stoici, atque Aristippus somniaverint.

XXXVI. Ex duobus veræ fortitudinis actibus præstantius esse sustinere quam aggredi, jure censemus.

XXXVII. Se ipsum directe interimere ad mundi hujus evitandas ærumnas, actum esse fortitudinis, cum Aristotele 3. & hic c. 7. contra stoicos inficiamur.

XXXVIII. Viro probo, ac magnanimo magis consentaneum est, ut honores contemnat, quam ut appetat sivea munia politica sint, sive sacra.

XXXIX. Eutrapeliam, seu comitatem veram esse virtutem, propriamque habere honestatem ab Affabilitate distinetam multiplici ratione illustratur.

40.

XL. Neminem volentem, & scientem posse sibi injuriam esse, seu injustum facere, patiendo injuriam ab alio, immo, & a seipso aristotelicis rationibus evincimus.

THEOLOGICA.

XLI. Fides, *sine qua impossibile est placere Deo* simpliciter necessaria est cuilibet credenti expressa de Unitate, & Trinitate Dei, de Verbi Incarnatione, & Passione, de justorum, & injustorum justa remuneratione. Qui aliquem ex tribus hisce articulis quocunque casu ignoraverit, nec est efficaciter vocatus, nec vitam æternam consequetur.

XLII. Si subtiliores, & adæquatæ Scotistarum rationes attendantur, divina Attributa formalem inter sese distinctionem admittunt; verum si communis SS. Patrum loquendi modus attendatur nonnisi ratione distinguuntur, ac per intellectum inadæquate ea percipientem.

XLIII. Ineffabile Trinitatis mysterium, supposita simplici terminorum revelatione natura duce, ac philosophica demonstratione dignosci aliquo modo potest, saltim quoad Personarum multiplicitatem in Deo.

XLIV. Medium in quo Deus futura libera contingentia cognoscit, decretum est concomitans formale, quod potissimum attenditur penes divinæ æternitatis notionem. Decretum concomitans virtuale figmentum est nuperorum Scotistarum, libertatem lædens creaturarum, scoticæque doctrinæ omnino adversatur. Tantum abest ut illud Scotus docuerit.

XLV. Parvulos sine Baptismate decedentes non solum visione Dei privari, verumetiam cruciari, cremarique, & mitissima pœna sensus in inferis torqueri. Augustini sententia est non per excessum, ac præter intentionem loquentis.

XLVI. Primum Luciferi peccatum non fuit superbia, ut plerisque scholasticis, veteribusque Patribus visum est; verum propter immoderatam sui complacentiam, luxuria fuit spiritualis, ut rationabilius videtur Scoto.

XLVII. Quoties Sacerdos ita se exterius gerat ut ecclesiæ

Mi-

Ministrum, & materiæ debitæ veram Sacramenti formam serio applicet, quamvis suam retineat intentionem, immo dissentiatur ei, quod exterius agit, toties Sacramentum ratum, ac validum esse, Augustini, Scoti, Thomæ, antiquorum Patrum sententia est. Oppositam nullibi tanquam catholicæ fidei articulum, ab Ecclesia hactenus difinitam esse defenditur.

XLVIII. Pœnitens injunctam sibi satisfactionem adimplere ut possit ita tenetur acceptare, ut alioquin non sit absolvendus. Qui contendunt eundem posse omnem sibi impositam satisfactionem rejicere; taleque judicium subtilissimo Principi ascribunt, innoxium doctorem contra quam jus est, odiosum reddunt; istiusque doctrinam non satis exploratam habent.

XLIX. Signum potissimum Antichristi præcedens adventum defectio erit Romani Imperii, quod quum scriptura, tum concordi Patrum expositione, & judicio definitur.

L. In die Judicii, nedum Reproborum, immo & Electorum delicta revelabuntur, quæ criminum manifestatio nullam pariet Electis confusionem, quod expresse S. Thom. docuit 4. 43. ultimo.

DOGMATICA.

LI. Jansenianam hæresim, quæ famosis *Jansenii propositionibus ab* Innoc. X. proscriptis, comprehenditur, impugnamus. In primis *primam Aliqua Dei præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia.*

LII. Secundo *Secundam. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

LIII. Tertium *tertiam. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

LIV. Quarto quartam. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent*

lent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere; vel obtemperare.

LV. Postremo *quintam. Semipelagianum est docere, Christum pro omnibus omnino Hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

LVI. Præfatas Jansenii propositiones vere in Jansenii operibus reperiri *in sensu ab ipso intento*, & ab Innoc. X. damnato expresse ostendimus; adeoque Jansenium tam in *jure*, quam in *facto* rite fuisse damnatum, adversus delirantium quorundam Recentiorum gerras, qui Jansenii libros, aut nunquam, aut somniantes volutarunt, evidenter evincimus.

LVII. Sub existente rationabili caussa belligerare possunt Christiani in Turcas, & Hæreticos. Atque utinam continuo, fausteque belligerent, & decantemus gaudenter. *Filia Thuræ misera; Beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis.*

LVIII. Sacerdotum Christi Immunitas, Ecclesiarum divitię, & libertas justæ sunt pontificio, cæsareoque jure concessæ; immo de jure divino, a Christo Deo, ejusque Apostolis edoctæ, & ad usum redactæ.

LIX. Confessio auricularis, quæ totius Christianæ Disciplinæ nervus est, peccantium refugium, ac medicina, catholicæque Religionis thriumphus, necessaria est pro Sacramento pœnitentiæ, eademque jure divino præcepta.

LX. Extremam Unctionem, non ritum tantum a Patribus acceptum, aut quod dictu nefas, humanum figmentum, sed vere, & proprie Novi Testamenti Sacramentum esse, non a Beato Jacobo Apostolo, at a Christo institutum, & scriptura, & perpetua Traditione concluditur.

HISTORICA.

LXI. Eusebium Cæsariensem Arianismi labe vitiatum fuisse fidem faciunt indubiam Athanasius, Hyeronimus, Arius ipse; ejusdemque Eusebii libri de præpar. Evang. Ipsum non veraciter, sed subdole, & ficto animo nice-

clesiæ lumen, quam immerito Semipelagianorum adjungere omni nisu conatur Molina. Valqu novissime sequitur Launojus, exinde luce clarius ret, quod ipse ad quælibet opera bona, etiam fidei gratiæ necessitatem admiserit.

LXVIII. Arnobium Juniorem, quem Africanum Sixtus Sen. nunnulli Gallum sine aliqua illatæ suspicione Semipelagianorum turmis adjunguntur Cardinali Norisio. Verum quoad Honoratum sem Episcopum assentiri minime possumus Emin. qui ipsum Semipelagianismi nigredine tinctum putat.

LXIX. Joannem Cassianum Semipelagianismi vexillum a Massiliam explicasse, ipsumque suis *collationibus* ad Monachos usque Lirineses detulisse, atque eorum plerosque ad Semipelagianorum partes traxisse probabilibus conjecturis evincimus.

LXX. Vincentium Lirinensem iis Semipelagianorum partibus adhæsisse proponimus, ut nulla arte, aut fuco ab eorum errore eximi queat, licet ex uno ipsius *Peregrini Commonitorio* decisionem expostulemus; quamvis opus illud *Aureum* a Possevino, & Baronio, *parvum mole, virtute maximum* Bellarmino, *nobilissimum* a Saussaio, *non tam utile, quam necessarium* a Costerio fuerit appellatum.

LITURGICA.

LXXI. Liturgia Petri commentitia est, & Auctoris incerti. Matthæi, & Marci Liturgiæ dubiæ fidei fuere. Jacobi Liturgia vindicatur. Dionsii Liturgia proscribitur.

LXXII. Missam Mozarabicam, qua olim Hispaniæ utebantur, cujus Auctor parum probabiliter Isidorus Hispalensis a Baronio astruitur ad an. 633 ab Hæreticis corruptam fuisse, cum Emin. Bona demonstramus, cui minime assentimur scribenti, a Francisco Cardinali Ximenio Missam Mozarabicam restitutam fuisse, cum potius ab eodem depravatam esse ostendamus.

Officium Romanum Curiæ, & Ecclesiæ opera Minorum in unum coaluit, quod ita mixtum ... Ecclesia deinde amplexata est. *Unde hodie An- Gradualia, Missalia, & Breviaria in Eccle- ... & Franciscana*, uti docet Romanorum ... peritissimus investigator, vindexque acerrimus ... Tangrensis lib. de Can. Obser. prop. 22.

. Templorum, ac Altarium usus, & origo ab Apo- ... dium duxit, quorum posteriorum usus lapidei, promiscuus in Oriente viguit prioribus sæculis.

. Missarum pluralitas in una Ecclesia antiquissimi est. Epistola quæ obiicitur Seraphici Patris Francisci ad sui Ordinis Sacerdotes, *ut una tantum Missa celebretur in Die*, humilis consilii, non præcepti vim habet; atque adeo testimonia eum usum astruentia non infringit.

LXXVI. Tanta rituum varietas in Missæ sacrificio fidei unitatem non lædit, olim fuit, & nunc est. Solus fidei Canon inconcussus, & immutabilis est. Cætera, quæ ad ritum, & disciplinam pertinent, justa interveniente caussa, sine reprehensione mutari possunt.

LXXVII. Multa Missarum genera de Tempore, & de Sanctis, Votivæ, ac pro defunctis ex Apostolica Institutione; atque ex antiqua traditione ad nostra usque tempora viguerunt.

LXXVIII. Multi fuere dies in veteri Ecclesia Polyliturgici appellati, in quibus multiplex sacrificium ab Sacerdotibus offerri consueverat. Caussæ multiplicis missarum eadem die celebrationis, peculiares fuere festivitates Solemniores, plurium festorum eadem die concursus, cum Sanctorum Reliquiæ diversis in Ecclesiis conditæ erant, cum ejusdem Sancti memoria pluribi colebatur. Missa votiva pro necessitate, seu pro Defunctorum sepultura.

LXXIX. Peculiares, eæque pretiosæ sacrum agentibus in usu semper fuere. Varius earum color. Locus, in quo conduntur, ejusque nomina itidem varia.

LXXX. [illegible] Ordo ab initio, & deinceps per ali-

quot

quot fecula inter minores Ordines ... annexus erat cælibatus. Novi... labili lege inter facros recensitus est

MORALIA

LXXXI. QUI Breviario p... Ordinis Religio... Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, cum id fingulis præscriptum est Rituali, ... bricis, aut ftatutis, aut confuetudine illius Religionis, five cum in Choro ab omnibus idque fub reatu peccati Mortalis.

LXXXII. Regularium Superiores abfolvere fubditos ab Epifcopis excomunicatos in iis cafibus, ... quibus eofdem excommunicandi poteftatem habent.

LXXXIII. Epifcopi è contrario nequeunt abfolvere Regulares ab iis excomunicationibus, quæ iifdem a propriis Ordinum Prælatis illatæ fuere.

LXXXIV. Sacerdotes Taurorum, cæterorumque ferocium animalium fpectaculis interesse non poffunt; quemadmodum multis Conciliorum Canonibus, ac Summorum Pontificum decretis cautum eft.

LXXXV. Qui Verbum Dei adminiftrant licite, ac laudabiliter in Verborum ornatu poffunt curam apponere, puroque uti, ac eloquenti dicendi genere. Eccl. 15, teftante, *Lingua Sapientum ornat Scientiam*.

LXXXVI. Fratres Minores poffunt licite, & abfque gravis peccati reatu carnibus vefci in 6. feria, fi feftum Nativitatis Dominicæ die ipfo venire contigerit propter Fefti excellentiam, quod nec Sancti Francifci Regula, nec Honorii decreto cap. explicari 3. de obferv. Jejun. vetitum eft.

LXXXVII. Abftinentia ab Ovis, & Lacticiniis diebus jejuniorum infra annum, & extra Quadragefimam, devotionis eft, non præcepti, quod nec a pia inducitur confuetudine ab iifdem abftinendi.

LXXXVIII.

...lio navali hostium est militibus ignem pul...
... ... se mari committere. ne ipsi cum
præda in Hostium manus deveniant.

...is peccati rei sunt, qui alios ad detrahen... aut gravem abtrectationem lubenter, ... nt. vel detrahentem non cor...

...malum sub ratione utilis optare, ...eccatori aliquam ægritudinem, aut aliquod ..., vel ut ipse melior efficiatur, vel ut fal...um nocumento cesset. S. Tho. Doc. 2. 2. q. 76. corp.

MISCELLANEA.

APOLOGETICA.

XCI. SI pauca demas, quæ Catholicæ fidei adversantia scripsit eximius Philosophorum Parens, & naturæ Theologus Plato, reliqua invenies Ortodoxæ Relligionis mysterus apprime convenientia.

XCII. Qui Epicuri de fælicitate sententiam insimulant, fraudolentam adhibent interpretationem. Propriam mentem expressit Epicurus disertis verbis *in Epistola ad Menoeceum*; Cui suffragantur pluribi, quamvis Stoicus Seneca, præsertim Epist. 21. 9. 92. & Lact. lib. 3. *cap.* 7. ac Gerson in serm. omnium Sanctorum, asseruentes, Epicureos, & Stoicos circa beatitudinis objectum solam quæstionem movisse de nomine; atque adeo Epicurum, non corporis, sed animi voluptatem intellexisse.

XCIII. Joannem Dunsium Scotum Subtilium Principem in Parisiensi Accademia Immacvlatam Virginis Deiparæ Conceptionem solemniter propugnasse, contra Natalem de Alexandre ratione positiva Historica Cronologica confirmamus.

XCIV. Seraphicum nostrum minorum Patriarcam B. Franciscum Assisiatem Hominem fuisse solidæ eruditionis, ac mul-

multiplici literarum genere instructum, adversus rem de eo opinionem, quum ex illustrium scriptorum, tum ex ipsius operum m arguimus.

XCV. Francisco Petrarchæ Italicæ poesis gno Statori, ac Vindici, aras ponat Poetarum Respublica. V Marinum ob venustum dicendi secutus, Poetarum albo expungit dicio, plerosque ex Græcis, Latinisque fatam scribendi rationem Marino exim condemnat; ac denique universam ticam Aristotelis.

CRITICA.

XCVI NON minus temerarium est oratoriam, poeticamque artem exercere; atque ethicam scientiam ignorare, quam medicinam ri, & astronomiam non callere.

XCVII. Theologia positiva Scholasticæ fundamentum iccirco fundamentalis appellata. *Utilis utraque, utraque necessaria, sufficiens neutra. Semi Theologum quælibet sola, illi juncta perfectum Theologum ostendit.* Hoc est Annati, cui subscribimus, certum judicium.

XCVIII. Idem profecto dicendum de recentioribus Moralis Theologiæ Professoribus, quod ait Cicero de Pythagoricis lib. 1. de nat. Deor. *quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex his quæreretur, quare ita esset? Respondere solitos: ipse dixit. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret authoritas.* Nec mitius Mabbilon de stud. mon. par. 2. cap. 7. *Non sine animi nostri mœrore compertum est Ethnicorum Ethicen quorundam Theologorum Summis aliquando fuisse pudori. Fructus longe major ex Ciceronis de Officiis lectione hauritur quam nonnullorum Summistarum.*

Philosophicæ *Disputationis disciplina ad omnia ge-*
-nerum, quæ in Literis Sanctis sunt penetranda,
-rimum valet. Tantum ibi cavenda est
& puerilis quædam ostentatio decipiendi
Augustini sententia est lib.2. de doctrin.

libris non excusandus. *Pul-*
(inquit Laert. lib. 6.) *in*
plumbeam gladium educunt;
eloquentia, qua pollent
escam fædæ voluptatis
abutuntur.

FINIS.